

Vates stultiloquis complentes omnia nugis ;  
 Nil canere adsueti ni Venerem, & Puerum,  
**Et** pulchros dominæ flammam jaculantis ocellos ;  
 Et genus hoc tricas scilicet, atque apinas.  
 Hos nocte in cæca mergi decet, hos dare blattis  
 Inclusos puteo prandia lucifugis.  
**Tu**, mihi si qua fides, prodi jam lucis in oras ;  
 Aude age te populo credere, perque manus  
 Ire hominum, atque acri censorum lumine cerni.  
 Nil æquo est hercle ab iudice quod metuas ;  
 Sive legat cœli nantem in sublime carinam,  
 Solerti vates quam struit ingenio,  
 Propellitque novus Tiphys, monstrante Minerva,  
 Credo equidem, & campis victor in aeriis  
 Quo lubet, unde lubet flectet sub cœrula vectam  
 Nubila, spectaclum gentibus; adtonitæ  
 Magnam quæ molem capiti superimpendentem  
 Defixis monstro suspiciunt oculis :  
 Sive poli Dominæ laudes cognoscere malit :  
 Quam vates pulchro captus amore canit ;  
 Quam sequitur quacumque tulit se dia puella ;  
 Et sese formas concitus in varias  
 Induit, exultatque, doletque ; ingentia mire  
 Ingenti miscens gaudia mœstitiæ,  
 Ardescensque, urensque sinus, & corda legentum .  
 Qualis Felsinei musa (a) senis, merito

Cui

---

(a) Franciscus Zanottius vir singulari doctrina atque orationis  
 elegantia scripsit elegias in præcipua festa B. M. Virginis ; qua  
 Brønna typis edita sunt anno 1731. Hæc lectione atque admi-  
 ratione Zanottius excitatus in eodem argumento quid ipse posset  
 experiri est. Utinam multi existant, qui utriusque exemplum  
 sequi ve'iant, ac eodem in sanctissimam Dei matrem amore inflam-  
 mati, conferant ad ejus laudes illustrandas poeticam facultatem,  
 quam nunc quidem in res levissimas, bonæque frugis inanissimas  
 flagitiose profundunt.